



J.F.F.



בשם מלאך הכרור:

LEGATUS

Dissertatione geminâ
representatus,

et

PRÆSIDE
VIRO CLARISSIMO

DN. M. JOHANNES ERNESTO
GERHARDO JENENSI,

in almâ LEUCOREA
publicè ad disputandum
propositus


à

JOHANNES CHRISTOPHORO Schmid/
Dresdensi.

Disputatio prior

Habebitur in Auditorio Philosophorum
horis antemerid.

d. XIIX. Julij



è Chalcographéo JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO MDCXLIX.

Michael Wendelerus, P.P.





QVOD BENE FELICITER QVE VERTAT
CHRISTUS JESUS,
ANGELUS FOEDERIS DESIDERATISSIMUS,
DEUS-HOMO,
BENEDICTUS IN SECULA!

VArias disfitasq; urbes & regna per-
lustrare, sanè jucundum perquam, imò & utile;
in hominum peregrinorum mores inquirere,
adhuc jucundum magis utiliusque; jucundissi-
mum verò omnium utilissimumq; ducimus, va-
rios varia eruditionis prudentiaq; recondita thesauros hinc
indè (*nulla enim tam infelix regio est, quæ, Deo ita prudentissi-
mè dispensante, non gemmas suas producat, sicut econtra nec ulla
adeò felix, quæ felicissima omnia ingenia includat* (a)) conquirere
sibi, ac novis istis frugibus patriæ horrea locupletare. Poli-
ticam autem hanc prudentiam (eruditio enim apud quos
quærenda sit, alibi dicitur) non inter plebejas quis animas
inque triviis facilè inveniet: altius enim sese abscondidit the-
saurus iste. In Regum Principumque palatiis quærenda Dea
illa est, hinc enim colitur diligentius, ac invenitur etiam faci-
lius. Agedum itaque! irrumpamus parumper munita Regum
adyta, imò perrumpamus, ibique discamus impræsentiarum,
queis virtutibus instructum pectus illius esse oporteat, queis
præditum moribus, qui feliciter sermonem ibi Legatus habe-
re, patriæque promovere commoda, corpore eidem absens,
animo autem præsens & affectu, concupiscit. Neque ta-
men sola præcepta hinc proponere mens animi nobis est, hoc
enim onerosum ac propè superbum, sed digito saltim mon-
strare conabimur, memorando Legatorum veterum ac re-

a) Lips. ep. 22.
L. 1. Miscell.

centiorum quorundam laudes ac prudentiam, lumen in speluncâ q̄. latens, quod sequi ille possit, cui functio talis aliquando obtingit: hoc enim utilitatis idem habet, arrogantia nihil. Cùm verò labor hic à professione studiisque nostris, (quippe qui Dei aliquando ad populum suum mandata referre cogitamus, non mundani Principis voluntatem,) alienus q̄. sit & peregrinus, quare in limine dissertationis nostræ profiteri hoc ipsum visum fuit, simul & illud, homines nos esse, atque adeò in errores proclives maximè. Si itaque à veritatis tramite non nihil discesserimus, in rectam nos reduci viam haut ægrè feremus, veniamque speramus eò faciliorem, quò promptiores sumus, dare eandem aliis. Sit itaq; Dissertationis præsentis

CAPUT I.

Legatorum Dignitas summis cum periculis conjuncta. hæc quomodo evitare Legatus possit quodammodo, variarum virtutum umbone se muniendo, ostenditur. Illius vitia citius deprehenduntur quàm plebejorū. Undè *Legatus* dicatur Latinis? quo nomine Ebræis, Chaldæis, Syris (ubi mendum aliquod in *Schindleri* Lexico indicatur) Arabibus? verbum $\Lambda\kappa\eta$ in Lingvâ Æthiopum quid notet in Conjug. *Tapab.*? Germanis unde *Legatus* dicatur? Græcorum appellatio. $\pi\epsilon\sigma\beta\upsilon\mu\epsilon\gamma\iota$ qui? Rabbini retinent sæpè vocabula Græca. In Legatis non semper ad ætatem respiciendum. Gallis, Italis, & Hispanis &c. quo nomine Legatus veniat, & quid notet? Dignitas Legati & jus de non lædendo. quo tamen ne se privet, dispiciat, ne honorem debitum illi, ad quem mittitur, subtrahat. Persarum mos circà Regis adorationem.

Grande Legati nomen est, labores pares, nec pericula etiam minora invidiaq; quare dispiciendum Legato etiam atque etiam est, ne vel fortunâ favente tollatur, vel tonante
quodq;

quoque; mergatur. Instructum habeat necesse est pectus variis virtutibus, quin eruditione, animi constantia, magnanimitateque ita munitum, ut non apud peregrinos solum peritum sese Oratorem patriæque suæ verè amantem demonstrando, varia ac multa incommoda fortiter sustineat, sed domesticorum etiam invidiæ tela læto animo patientique excipiat. Labores timeat nullos, & vel pro ingrata patriâ sustinendos, invidiam domet favendo, multoque ducat gloriosius, injurias beneficiis vincere, quàm mutui odii pensare pertinaciâ. aut si hac ire viâ non licitum, spernat illam ac nauci faciat. Caveat autem summoperè, ne vel suspicionem saltim criminis alicujus præbeat. (b) Non secus enim atque in purissimo subtilissimoque linteo maculae conspiciuntur citius, quàm in crasso aliquo panno, vel etiam atque in pretiosissimo adamante labecula aliqua deprehenditur facilius, illiusque dignitatem magis imminuit, quàm si in abjecto aliquo inveniretur lapide: ita in candidissimis pectoribus, & quæ virtus sua supra communem sortem nonnihil evexit, vel exigua etiam peccatula atque errores longè cernuntur facilius, taxanturque gravissimè. Legatum verò apud Latinos dictum volunt vel à Græco λέγειν i. e. dicere, (c) incumbit enim Legato, non scripto solum causam suam agere, sed sæpè, imò frequentius oratione ac sermone; vel etiam ab eligendo, quod ad functionem istam ex aliis electi; id vel per vota, vel etiam sorte, qui posterior modus frequens olim apud Romanos cum primis fuit, idque ideò, ne ambitioni aut inimicitii locus foret, ceu ex Tacito (d) Cicerone (e) ac Dione Cassio (f) constat. vel denique à legendo, quia nomina illorum, quorum studio fidelitateque Magistratus peregrè uti volebat, publicè prælecta. vel denique à legare, quod idem ac mandare apud Plautum, ceu observat Academia nostræ, atque adeò orbis literati lumen CL. BUCHNERUS (g). ablegantur enim Legati cum mandatis s. ut mandata exequantur. quamvis & dici forsan possit, ipsum verbum legare à nomine Legatus descendere. Sed nolumus in tot sententiarum dividiis certi aliquid definire. In tabulis veteris fœderis Ebraicis Legatus מַלְאָךְ vocatur,

(b) Hiberniæ
Pro-Rex Comes de Staffordt in Orat.
Valedict. vid.
Memor. Angl. pag. 9. hoc anno editum
(c) Scal de C. LL. lib. 1. c. 29.
Varro lib. 4. pag. 21. Becm. Orig. p. 416.
Lexic. Jurid. voce Legatus.
d) lib. 4. F. 1.
e) lib. 1. ad Attic. ep. 17.
f) lib. 59.
g) Indic. Plaut.



b) Lex Pen-
tagl. rad.
לְאָלֶיךָ.

e) Conf. c. 11,
17. It. Luc.
7, 10.

k) ad Philipp.

l) lib. VI. p.
437. l. 61.

m) Brev. The-
ol. Extens. c.
19. S. 356. 358,
359.

n) ad Matth.
26, 21.

o) Myroth.
Evang p. 280.

p) Lex. Grac.
in voce πρέσ-
βυς.

tur, quod *missus, nuncius, legatus* communiter exponitur. quemadmodum etiam Chaldaeorum מְלִאָּךְ, Syrorum לְאָלֶיךָ (*Schindlerus* (b) minus rectè exhibet מְלִאָּךְ, sicuti etiam מְלִאָּךְ in plur.) & Arabum لِسْلِسْ. Quorum quidem nominum radix in Ebraeorum hortis, quos V. T. nobis sistit, non invenitur: ast si in Æthiopum prata emigrare quis cupiat, inveniet ibi radicem ለአን፡ quæ in *Tapab. servivit, ministravit* notat, vid. Ps. 100, 8. 103, 5. essentque ità Legati qf. *ministri legantis, cum omnis missus in humanis minor communiter soleat esse mittente.* Apud nos Germanos Legatus nomen sortitus est à *legando, mittendo, vel ablegando* (quemadmodum hoc ipsum verbū *ablegare* itemq; *legare* apud Latinos nomini *legatus* natales debere suos videntur) Gesandter à *senden*; indè etiam B. *Luthero* 2. Macc. 4, 44. οἱ πεμπόμενοι sunt Gesandten (i) eod. modo ἀπεσταλμένοι Luc. 19, 32. & πεμπόμενοι 1. Petr. 2, 14. Idem B. *Lutherus* in Bibliis Germanicis Ebr. מְלִאָּךְ de Legatis adhibitum reddere solet Botschaften, quod hodiè non usque adeò in usu frequenti. Græcis aliàs Legati dicuntur πρέσβεις, unde apud *Isocratem* (k) legimus, πρέσβεις πέμπειν, πρὸς δὲ αὐτὴν βασιλείαν, καὶ δέχεσθαι παρ' αὐτῆς σοὶ δοκεῖ. Latè autem hanc dictionem apud *Athen.* sumi, ità ut & impropriè illum indicet, qui *θεωρὸς* aliàs dicitur, observat *Casaub.* ad Athenæum (l). Ortum verò trahit πρέσβυς s. in plur. πρέσβεις à πῦρ & σβέω, quòd in Senibus ignis sive calor naturalis plerumq; paulatim imminui vel extingvi soleat. notat enim πρέσβυς usu communi *Senem*, unde in N. T. Græco πρεσβύτεροι *Seniores*, qui Ecclesiæ præsunt. (de quorum officio & diversitate multis agunt Commentatores ad 1. Tim. 5, 17. quibus adde Reverendis. celeberrimumq; Theologum Dn. D. *Hülsemannum*, (m) *Hug. Grotium*, (n) *Cameron.* (o) *Pasorem.* (p) *CLALLIUM Salmasium.* (q) Atq; ita dicti etiam fuère מְלִאָּךְ סַנְדְרָאִין sive מְלִאָּךְ דִּין בֵּיתֵי h. e. *Viri domus Judicii magni*, apud Judæos. de quorum munere, numero, sicut etiam de totà Judicii illius LXXI. Seniorum ratione videantur cum primis *Cocceus*

Cocceus in toto tr. *Sanhedrin*, Dn. D. Müllerus (r) Cunæus & Si-
 gonius (s) Schickardus, (t) & qui novissimè accuratissimèq; de-
 scripserunt, Excellentissimus Dn. M. Ostermannus, Prof. in
 Includat hanc Leucoreâ celeberrimus, Dn. Patronus ac Promo-
 tor noster pl. observandus (u) itemque M. Joh. Ernest. Borni-
 tius. (x) Græcæ huic dictioni, uti aliàs vocabula Rabbiorum
 quamplurima, originem etiam suam debet פְּרִזְבִּין, cujus sin-
 gularis num. esset פְּרִזְבִּי nam ultima radical. pluraliter in
 hujusmodi nominibus abjicitur, notante Ebraicarum litera-
 rum Principe *Buxtorfio* (y). Ex eodem quoque fonte propul-
 sulavit aliud Rabbiorum vocabulum פְּרִזְבִּי, quo simili-
 ter Legatos, Interpretes, indigitare iidem consueverunt.
 Ut ut verò Legati sermone Græco à Senectute ita nominen-
 tur, existimandum tamen haut est, qd. à munere isto penitus
 excludendi illi sint, qui annis quidem cæteris cedunt, sapien-
 tiâ v. prudentiâq; existunt superiores: quin potius majorem
 hinc prudentiæ ac reliquarum virtutum, quam annorum ha-
 bendam interdum esse rationem omninò statuimus, infra et-
 iam prolixè id demonstraturi אל תסתכל בקנקן אל
 במה שיש בו יש קנקן חדש מלא ישן ויש קנקן
 : במה שיש בו יש קנקן חדש מלא ישן ויש קנקן
 h. e. ne inspicias cantharum, sed id quod
 in eo est. Est enim cantharus novus quandoq; repletus vino veteri.
 Est etiam quandoq; cantharus vetus, in quo ne novum quidem vi-
 num est; Scitum est Magistrorum Ebraeorum monitum כפא
 s. in Cap. Patr. c. 4. Gallis, Italis & Hispanis Legati à mittendo (vi-
 del. *דאד* & *אינפאדיקט*, ceu Schönbornero lib. 3. Pol. c. 27. pla-
 cet,) dicuntur, dum his præter *Legado* & *nuncio* etiam *Emba-*
xodor, illis *Ambasciatore*, istis *Ambassadeur* dicitur. & indè
 emerfit Germanicâ civitate propè jam donatum & in vulgus
 notum *Ambassader* vocabulum. quod quidem si Germanicæ
 Lingvæ nitor suus constare deberet, haut tolerandam magis
 esset ac alterum illud *legat*, quod quid notet, vel rustici Ger-
 mani hodiè intelligunt. Polonis *Envoye* dicitur vocabulo
 Gallico, quod itidem *missum* notat. Cæteris ferè populis o-
 mnibus

q) Tr. de Epi-
 scopis & Pres-
 byteris sub
 nomine Wa-
 lonis Mes-
 salini edito.
 r) *Judaismi*
 p 72. seqq.
 s) *de Rep. Ebr.*
 t) מהם c. 1.
 theorem. 2. it.
Bechin. Hap-
per. p. 54.
 u) *Disput. de*
Consult. Vet.
 x) *Disput. de*
Synedr. Ebr.
 y) *Lex Rabb.*
Talmud. p.
1806. m.

z) l. 4. Polit.
c. 15.

α) de Arusp.
Respons.

β) Orat. adv.
Mithrida-
tem.

γ) libr. 4. c. 2.
p. 44.

δ) C. Julius
Caesar Le-
gatorum

nomen apud
omnes natio-
nes sanctum
inviolatumque
semper fuisse,
attestatur.

manibus similiter *Legati à mittendo*, qui ad alios mittuntur ab-
leganturque cum mandatis, vocantur, quod prolixè diduce-
re pagellarum ratio non permittit. Quemadmodum hæc
ipsa etiam obstat, quò minus & alia nomina, quibus Legati
apud Latinos veniunt, uti *Oratores, Nuncii, Caduceatores &c.*
excutiamus. Dignitatem verò Legatorum abundè commen-
dant testanturque honores, quibus tum apud suos, tum apud
exteros quoque maclantur non exiguis. Nec id immeritò.
Quamvis enim secundum *Aristot.* (z) *πρεσβευται* s. *Legati* Ma-
gistratus haut sint, (quapropter etiam Politici dicunt, quòd
mittatur *sine imperio* Legatus) sustinent tamen personam Prin-
cipis vel Reip. ac sicuti dedecus injuriaque, quâ illi adficiun-
tur, in ipsos redundat Legantes, ita quoque honor, qui iis exhi-
betur, in Principem referri ipsum, qui mittit, non immeritò
creditur. Verùm cum infra in seqq. quis honor huic vel
illi Legato in hac illaque gente fuerit exhibitus, non nihil
prolixius sit demonstrandum, nolumus hîc esse prolixi, quin
potius unico ferè verbo communissima Legatorum privile-
gia indicabimus. Jus autem commune Legatorum esse sem-
perque fuisse, ut securè ac impunè per ipsa etiam hostium (ad
quos mittuntur) migrent ac remeent agmina, nemini non
constat. Quod Legatorum jus *cum hominum presidio muni-
tum, tum divino etiam jure vallatum esse*, Romanæ eloquentiæ
parens *Cicero* (α) scripto reliquit. Qui ipse etiam (β) cau-
sam belli justiore vix agnoscit, quàm ob Legatos violatos.
Sic ob Legatos contumeliosè habitos Romani arma sumpsere
in Ligures, Senonas, Isios, Corinthios, Tarentinos; Alexan-
der M. in Tyrios (vid. Curtium (γ).) aliæque gentes idem
fecere. Etenim *Legati-sanctum sunt populis per secula nomen*,
dicente *Statio* (δ). Unde & *ισσγι* homines religione ipsâ tuti,
Latinis *Sacrosancti* (Vid. l. 8. ff. de rer. divis.) apud omnes gen-
tes habiti Legati, teste Græcarum literarum Aristarcho *Casau-
bono* Animadvers. in Athenæum, lib. 1. ubi illud *Dionis Chry-
sostomi* huc refert: *πολύ τῶν ἀσυνδοφῶρων καὶ τῶν κηρυκῶν
ισσγι τῶν*. Quapropter nec sceleratos etiam Persarum Lega-
tos punien-

tos puniendos duxit Rex Macedonum apud *Herodotum* (η). η) lib. V.
Ad morem vel privilegium hocce *Chrysoſtomus* etiam loco
non uno respexit in Homiliis suis. sic Hom. 24. ad Corinth.
in verba Apost. *ἵνα ἔγωγε ἔπιπροσβένω ἐν ἀλύσει* (θ) ita rhetorifa- θ) ad Eph.
tur: *Pro quo legatione fungor in catenâ. Ubi fungeris legatione?* 6, 20.
apud homines, inquit; Papa! quanta Dei benignitas? misit è cœlis,
qui pro ipso fungerentur legatione pro pace, & eos captos vinxerunt
homines, & ne jus quidem publicum reueriti sunt, quo ei, qui lega-
tionem fungitur, nihil unquam fit mali. Sic idem illud aureum e-
loquentiæ os Homil 3. ad Col. in hæc verba erumpit: *Legati*
quicumq; ii fuerint, propter dignitatem Legationis multum honorem
consequuntur. Vide enim veniunt in mediam Barbarorum regio-
nem, soli inter tot hostes; & quoniam magnam vim habet jus Lega-
tionis, omnes eos honorant, omnes eos tuto emittunt. Et nos ergò &c.
Atq; hujus rei egregium exemplum nobilissimumq; in Tartar-
is etiam, hominibus maximè barbaris habemus. Perhorum n.
postquàm migrare cogebantur Principis Holiatia ad Per-
sarum Regem Legati regionem, Tartarorum verò princeps
subsistere eosdem tantisper jussit dum inquisivisset, an
mercatorum opes secum veherent, quod ubi negassent, libe-
rè eosdem dimisit, attestante Ad. Oleario Itin. Orient. p. 505.
Quâ de causâ etiam INJURIAM, quâ Legati adfecti fuere,
suam duxerunt prudentissimi Principes Regesq; Sic in divinis
litteris (i) de *Davide* legimus, quòd, postquam ad Chano-
nem Ammonitarum Regem Legatos misisset consolatum ob
Patris sui obitum, ille verò ab aulicis suis, Principibus filio-
rum Ammon persuasus, ac si exploratores venissent, non
consolatores, injuriâ haut levi, dimidium barbæ radendo ve-
stesque per medium ad nates usq; præscindendo, eos adfecit.
set, in tantum ob illatam hanc Legatis suis injuriam fuerit
exacerbatus, ut gravissimo bello hanc fuerit ultus. Non ab-
simili modo *Henricus Auceps* illos, qui Legatis suis crines præ-
sciderant virgisque ceciderant, ceu pacis violatores severè
punivit, munitionemque illorum Hartesburgum in monte
prope Goslarium funditus evertit, ceu in *Slavorum Chroni-*

i) 2. Sam. 10,
5. & seqq.

(x) *Ex edit. cis* (x) legere est. Nec immeritò injustèque optimi hi princi-
Reineri Rei- pes injuriam hanc ægerrimè tulère ac dolenter. *Ministrum*
neccii cap. enim qui spernit, idem & Principem spernit, dicente *Philone*. (λ)
 37. l. 2. ac imputari etiam solet *Legatorum infortunium his*, à quibus missi
 λ) *de Deca-* sunt, auctore eodem: (u) *dedecus etiam Legati ad omnes*, qui mi-
 logo. *serunt, pertinere*, prudenter dixit *Libanius*. (v) Atque hanc ipsa
 μ) *de Legat.* etiam de causâ cum Romani (ξ) tres Legatos L. Valerium,
ad Car. L. Sergium & A. Manlium, qui donum Apollini Delphos fer-
 υ) *Orat. Pa-* rent, eumque inviserent, misissent, Liparitani autem pirati-
trocli ad A- cam exercentes illos excepissent, illosque unâ cum thesauro,
chil. supra re- quem portabant, Liparas deveherent, incolæ Legatorum no-
conc. ejus cū men, donumque, & Deum, cui mitterentur, veriti, non tan-
Agamemn. tùm eos restituti omnibus liberarunt, sed cum præsidio quo-
 ξ) *Vid. Liv.* que navium Delphos prosequuti, Romam indè sospites resti-
 b. 5. tuerunt. quod ipsum quidem adeò gratum Romanis fuit, ut
 decreverint, *uti nobiles Liparitani Roma degentes Romani Patri-*
tii, reliqui verò omnes absentes confederati essent, quin & duo sem-
per ex Liparensibus in Jovis templo sacerdotes. Quâ quidem in
 re prudentiores censemus Liparitanos Lacedæmonis, quo-
 rum illi Legatos à se violatos pristino restituere honori po-
 tuère, hi autem neutiquam. Ubi tamen simul & quorun-
 dam inter Spartanos nobiles non silenda fortitudo inque pa-
 triam amor est. Cum enim Darii Legatos aquam & terram
 postulantes in puteum alios, alios in barathrum Spartani
 conjecissent, addito hoc: *debere illos indè reportare ad Regem*
aquam & terram. evenisset verò postmodum ut perpetrati
 sceleris conscientia exterriti, & omine haut bono admoniti,
 Legatos ad Darii Filium Xerxem mittere decernerent, qui suâ
 morte Patris ejus Legatorum apud Spartam occisorum cæ-
 dem expiarent, reperti duo clarissimi viri Spartiatae sunt,
 Sperthius Aneristi, & Bukis Nicolai Filius, qui non solum
 spontè ceu piaculum pro Patriâ ad Legationem hanc cruen-
 tam sese obtulère, sed & intrepidè ubi ad Regem venère, *quid*
vellent, quodq; venissent, ut suâ morte Legatos à Spartanis occisos
lucrent, prolocuti sunt. Quibus tamen haut minùs generosè
 Rex

Rex

Rex respondit: neutiquam se fore Lacedaemoniis similem. Illos enim interimendis Legatis jus omnium hominum confudisse: se verò quod illis exprobraret, id non esse facturum: neque eos occidendo, Lacedaemonios culpam soluturum. prout latè refert Herodotus. (o) o) lib. VII. p. 494.

Quapropter non immeritò æternam laude dignus Magni Caesaris ad portam Othomannicam Legatus & Orator sapientissimus Aug. Gisl. Busbequius (π) sapiens conquestus est apud Turcas, verèque dixit, quòd injuria illa, quàm ipsum adficiant, dum domo inclusum ceu captivum aliquem eum custodiverunt, non in se solùm, sed ipsum Romanorum Imperatorem à quo missus, recidat. Videat tamen & Legatus, ne ansam hosti præbeat vel nimis imprudenter linguæ frena laxando, vel modis aliis aberrando, quò prætextum is habeat pœnæ vel injuriæ suæ. Sciatque Legatus probè, non omnia scelera sua lege istâ seu privilegio, quòd Legati munere fungatur, excusari vel deleri posse. An existimas, eleganter pariter verèque exclamat Quintilianus (ρ), hanc Legatis dari peccandi licentiam, ut quacumque scelera in eo officio commiserunt, cum his omnibus, hac unâ lege decidant? ô nimium invidendam hujus legationis conditionem, si tibi & famam remisit & legem. Prudentiam hinc opus non exiguam hinc est, ut & Legantis sui honorem non imminuat eidemque detrahi aliquid patiat, nec tamen & illum, ad quem mittitur, sive ex ignorantiam, sive studio etiam suo defraudet honorem. Sic de Dracula, qui Matthiæ Corvini Hungariæ Regis tempestate Walachia Princeps fuit, commemoratur à Bonfinio (σ) quòd Turcicis legatis, eò quòd caput aperire suum more patrio noluerint, pileos capiti clavis affigi, (quo cum Legatorum dolore & legantis ignominia, qui libet facile hariolari potest) jussit, quòd eò firmiter posthac istos retinerent. Laude perindè dignum prudentissimum Ismeniaë cujusdam Thebani factum censemus, cujus servatam memoriam Æliano (τ) debemus. Venit iste patriæ causâ legatione ad Persarum Regem susceptâ, ad Regem, eumque de iis, quorum causâ venerat, voluit consultum. Tum Tribunus militum, cujus munus erat peregrinos introducere ad

B 2

Regem

π) Epist. de Legat. Turc.

ρ) Declam. 12. §. 17.

σ) Rerum Un- gar. Decad. 3. lib. 10 f. 558.

τ) libr. 1. c. 21.

Regem, ad Ismeniam: *Heus Thebane hospes, inquit, lex est apud Persas recepta, ut is, qui in conspectum venit Regis, non antè cum eo conferat sermonem, quàm adoraverit.* (h. e. non caput solum submitterit, sed procumbens qf. humi corpus profus prostraverit. hic enim mos est salutandi Persarum Reges, ceu in *Justinio, Lucretio, Herodoto, Lampridio, Curtio, &c.* varia extant indicia; exemplum etiam satis clarum exhibet *Valer. Maximus.* (o) quin & *D. Matth.* quando de Magis Christum recens natum accedentibus scribit. (Φ) ἐλθόντες εἰς τὴν οἰκίαν &c. καὶ προσκύνησαν αὐτῷ, procidentes adoraverunt eum. Magos verò istos Persas fuisse unanimi propè confensu cum *Basilio.* (χ) & *Chrysostomo.* (ψ) tradunt auctores. Videatur *Chemnitius,* (ω) *Hunnius,* (a) *B. Gerhardus,* (b) *Tössanus,* (c) *Casaubonus,* (d) *Abrab. Schultetus,* (e) *Heinsius* (f) &c. Non latet quidem nos, *Justinum Martyrem, Tertullianum* item ac *Epiphanium* adferere, ex Arabia venisse hos sapientes: attamen tutius arbitramur sequi hinc receptam sententiam. Eundem verò salutandi morem aliis quibusdam populis Orientis in usu quoque fuisse, docet *Hug. Grotius.* (g) exinde tamen non sequitur, Magos hosce non fuisse Persas, quemadmodum nec ex eo, quòd munera ista, quæ hic commemorantur, Arabia producere soleat, quibus fortè rationibus motus *Grotius* (b), ad *Justinus* sententiam inclinatus Ismenias deduci se jubet, cumque accessisset, anulum, quem manu gestabat, è digito detractum clam abjecit ad pedes, confestimq; tanquam adoraret, sustulit, & opinionem quidem adorationis Persarum Regi præstitit, nihil autem commisit, quod ignominiosum aut indecorum esset Græcæ nationi, quæ hunc honorem exhibere Principibus non sustinebat. Simili astutiâ si Regis sui honori satis prospicere posse credidisset Legatus quidam Persarum Regis ad Indiarum *Mogul* dictum amandatus, facile hujus effugere indignationem potuisset. At mens illi alia, animus longè erectior. Postquam enim eum Indiarum Rex blandis primò verbis, quin & munerum Regionum pollicitatione admoneri fecisset, quò corporis inclinatione reverentiam

v) lib. 7. M. c.

3. Obs. ext. 2.

Φ) c. 2. v. 11.

χ) Hom. de Nativ. Christi.

ψ) Hom. 6. 5

7. in Matth.

ω) Harmon. Evang. p. 107.

a) Comm. ad b. l.

b) Hom. Sac. in Festo Epiph.

c) Not. Bibl. ad b. l.

d) in notis ad b. l. p. 182.

e) Exerc. Evang. l. 1. c. 53. pag. 131.

f) Exerc. Sac. c. 2. p. 7.

g) ad cap. 2. Matth. p.

30. 31. 34.

b) l. c. p. 30.

tiam



tiam honoremque debitum ipsi Regi exhiberet, ille verò his
neutiquam ad cultum istum commoveri posset, astutiam Rex
Indiarum ipse excogitavit talem: Curavit nimirum exstrui
ante thronum suum Regium portam aliquam depressiorem,
per quam Legatus Persicus, accedere ipsum si vellet, transire
& quidem inclinato corporis habitu, (procera enim statura
Legato erat) necessum haberet. Ast ubi, ut adiret Legatus
Regem, aliquando contigit, astutiamque Regis observavit,
protinus argutiam argutiâ repellere conatus est, & inclinato
quidem corpore, cum porta humilior aliter non permetteret,
Regem per portam accessit, sed posteriori corporis parte præ-
missâ, ceu jucundam hanc historiam refert *Ad. Olearius. (i)* *i) Itin. Persic.*
Major nisi vehementer fallimur, ex *Cononis (k)* facto elucet *p. 440.*
prudencia, professus enim ille est, (ubi admonitus fuit, cor- *k) Vid. Corn.*
poris prostratione ut Regem veneraretur more recepto) *sibi Nep. ejus vi-*
tâ.
non esse grave, quemvis honorem habere Regi, ast cum vereretur,
ne civitati suæ hoc esset opprobrio, scripto maluit, mandata sua
proponere, quam Regem accedendo, debito eundem defrau-
dare honore, vel committere aliquid, quod civitati suæ esset
ignominiosum. Quâ re cognitâ magnam *Conon* prudentiæ
pariter & magnanimitatis apud Regem Artaxerxem repor-
tavit laudem, maximo cum Patriæ suæ, urbis Atheniensis,
emolumento conjunctam. Tale itaque necesse est, Lega-
tum prudentiæ temperamentum honori, suo quem præstat
debetque Leganti, indicere, ne Princeps ad quem mittitur,
suo etiam defraudetur honore justo. Id nisi fecerit, non so-
lùm magnam rusticitatis sparget de se opinionem, sed invi-
diam quoque sibi periculaque conflabit certissima pariter &
gravissima. Multò minus autem à periculo illos pronun-
ciamus liberos, qui explorandi causa Legatorum nomen sibi
vendicant. ut ut exempla forsitan non sint, ubi propter no-
men saltim Legati mitiùs istos tractatos novimus. Vid. Dio-
nyf. Halicarnass. lib. 6. Nullo verò modo Legatorum gaude-
re privilegiis illi possunt, qui falsò tales sese venditant, unde
meritò debitam de illis sumunt pœnam, quorum nomine sese

missos mendaciter jactitant. Exemplum videre licet apud
Meteranum libr. 26. Hist. De quibus cum, quæ apud singu-
los populos ac gentes imminere Legato soleant, infra ordine
ostendere decretum nobis sit, nolumus hinc agere prolixè.
quin ad generales potiùs, ut ita loquamur, Legati virtutes &
requisita properamus consideraturi, quibus instructum NA-
TURÆ, FORTUNÆ, ARTISQUE DOTIBUS Legatum esse
deceat, qui & patriæ causam feliciter agere, & innumeris istis,
quæ subindè functionem hanc comitari solent, humeros suos
subtrahere periculis desiderat. Præmittendam tamen brevi-
ter ducimus Legati definitionem, quæ à Schönbornero traditur
talis: *LEGATUS EST PERSONA PUBLICA SACRATIORE
NOMINE AD PRINCIPEM VEL REMP. MISSA, SINE IM-
PERIO REI DICENDÆ AGENDÆ QVE CAUSA.* Post hanc
observetur ex eod. quòd variæ legationum dentur species.
Est enim Legatio 1. *pronuba.* 2. *libera,* (cujus usus cum primis o-
lim apud Romanos erat, ceu infra ostendetur.) 3. *officiosa.*
4. *quæ bellum concernit.* 5. *quæ pacem.* quas qui accuratius co-
gnoscere concupiscit, adeat Schönborn. (l) Nos properamus ad
Legati Requisita modò indigitata evolvenda. Esto itaq;

CAP. II.

Natura bona Legato necessaria sunt, eundemq; summoperè
commendant, uti sunt, *corporis decor formaq; externa,* qui-
bus accedat *sermonis suavitas & memoriæ felicitas,* ac tandem
etiam *vires non integræ solùm, sed & robustæ,* quibus itine-
rum aliasq; possit difficultates superare.

Gratior est pulcro veniens è corpore virtus:

verè dictum à Poetâ. (m) Quod uti in communi vitâ videmus
evenire sepius, ita vix dici potest, quantoperè Legati aucto-
ritatem juvet ac cõmendet, si decenti corporis formâ sit con-
spicius. Sit igitur Legato frons lata erectaq;, sit majestas oris
admiranda, sit corpus justâ longitudine procerum, sit vox
suavis nec auribus ingrata, sit lingua expedita non balbu-
tiens. Neq; enim *Barbaris solùm hominibus,* teste Q. Curtio. (n)
in corporum majestate veneratio est, dum magnorum operum non
alios

l) Lib. 3. Pol.
c. 27.

m) Virg. l. 5.
En.

n) Lib. 6. de
Gest. Alex.
Magn. 6. 6.
p. 115.

alios putant capaces, quàm quos eximiâ specie natura domare fuit dignata: sed in fitum omninò cunctis ferè mortalibus, illos cum primis venerari, in quibus natura thesauros suos reposit non prorsus occultè, sed conspicuos quodammodo, & omnium q̄s. oculis expositos: quò facit elegans Gallorum veriverbium: la beaute est une piece de grande recommandacion, au commerce des hommes. Et si nobilis hospes pulcrum plerumque eligere sibi solet domicilium, quis quæso dubitat, supremum rerum arbitrum generoso hospiti, animæ nostræ, de pulcro etiam prospexisse domicilio, non columnis solùm benè firmatum, sed eleganti quoq; structurâ ac pulcritudine hospitis majestatem ostendens, imò & ostentans. Sanè nisi literæ Lacedæmoniorum creditivæ, ut ita dicamus, illorum Legatos prodidissent, certè Apollonius nequiquam tantam dignitatem in illis agnovisset: *Viros equidem vestros, scribit (o) vidi, barbâ nullâ præditos, levis candidisq; brachiis & cruribus, mollibus subtilibusq; vestimentis &c. Quare Legatorum nomen cognoscere non potui. Literæ verò Lacedæmonios dicebant esse.* Sic in Aug. Gisl. Busbequio, qui bis Legatum Cæsareum feliciter egit in aulâ Turcicâ, eximias ingenii & corporis dotes deprehendisse se, Camerarius. (p) ait. Quid? quod Cicero, qui pulcritudinis duo genera facit: unum virile, quam dignitatem vocat; alterum muliebrem, quam venustatem dicit, utrumq; in Oratore, atq; talem esse Legatum omninò requiritur, conjungat & commendat. VULTUS verò, ait, (q) qui secundum vocem plurimum potest, quantam affert tum dignitatem, tum venustatem. Est omninò decens corporis proceritas ac oris dignitas muta Legati commendatio. licet enim animum ex corporis magnitudine more Barbarorum (vid. Curt. lib. 7. c. 8.) haut æstimemus, sæpissimè tamen *Est procerum verè, procerum corpus habere.* & paucissima pars hominum Principis illius consilium adprobat, (r) qui ubi è duobus gravioris alicujus officii candidatis, quorum alter procerus, alter exiguo fuit corpore ac staturâ, unus eligendus fuit, minorem elegit, hâc motus ratione, quòd excelsa ædificia in sublimitate & sub tecto plerumq; sine vacua. Quæ verò vis orationis, si expedita, si suavis, si auri-
bus

o) Ep. 70.

p) Hor. subc. 1.

Cent. 3. c. 68.

p. 247.

q) lib. 1. Off.

r) Vid. Zing.

gr. Apopht.

Germ. p. 60.

s) *Hor. subcis.*
l. 3. c. 70.
p. 257.

t) *Lib. VIII.*
MM. c. 7. ex-
tern. obs. 1.

bus non raucitate aliquâ molesta? Ducit sanè dulcedine suâ vel repugnantes etiam, imò cogit & impellit. Non ingenium, non eloquentia aptaq; verborum positio, aut argumentorum robur pectora humana catenis trahit, sed necesse omninò est, SVAVITAS LINGVÆ, atq; hæc non tam arte acquiritur, quàm benignæ matris naturæ beneficio obtingit, accedat. Indè Germaniæ Præceptor *Phil. Melancthon*, ceu *Camerarius* (s) prodit, recitare fuit solitus historiam de *Legatis Wirtembergicis, ad Pontificem Romanum* missis. Hi licet viri docti, eloquentes, & magnâ auctoritate præstantes essent, quia tamen pronuntiatio eorum & peroratio crassa & ingrata auribus Pontificis & Cardinalium, indignabundus Pontifex eos absq; responsione, req; dimisisset infectâ, nisi *Capnio* veluti *Interpres*, svaviore elocutione illorum errorem correxisset, delicatioribusq; Pontificis auribus satisfacisset. Apud molliores cum primis populos quales Galli, Itali &c. tanta svavitatis Lingvæ vis est, ut credi vix possit. Corrigi quidem Lingvæ vitium arte ac frequenti exercitatione potest, sed magis beatus ille est, cujus os natura nectare quodam & ambrosiâ perfudit qs., ut loquenti mella profluere, ac quæ profert, complere apes floribus & innectere videantur. Hoc ipsum igitur si natura beneficium negavit, non tamen propterea abjiciendus statim animus est, quin potiùs in id incumbamus, quò illud, quod natura invidit, arte resarciamus, *Demosthenem* imitati, qui licet ingenii pariter ac naturæ beneficiis minùs valeret, impedimenta tamen summâ diligentiam industriaque ita superavit ut *Oratorum Græcorum Princeps* postea evaserit. In secreto enim subterraneo sese loco exercens, corporis gestum & vocem sibi formavit, Lingvæq; hæsitantiam ac balbutiem, qua ne primam quidem literam ejus artis, cui studeret, proferre rectè posset, coniectis in os lapillis emendavit, ac vocem sibi currendo, scandendo, & pronuntiando adeò confirmavit, ut planiùs ipso loqueretur nemo. Eleganter inde de eo *Valerius Maximus*. (t) *Præliatus est contra naturam & quidem victor abiit, malignitatem ejus pertinacissimo animi robore superando. Lingvæ verò vitium quàm obsit Legato, & quan-*

quantoperè molestam illius reddat orationem, illi norunt optimè, qui muneribus publicis præfunt vel interfunt. Vitium sanè hoc nec in nostrâ vernaculâ Lingvâ inusitatum esse, & in conventibus Imperii ac statuum in peroratione Legatorum sæpenumerò non absq; molestiâ audiri, ingenuè fatetur clarissimi Patris Filius non minus clarus, & ipse Orator non ignobilis *Philippus Camerarius.* (u) qui conventibus Imperii, Legatione functus, non semel interfuit. Sed & MEMORIÆ tandè felicitatem naturæ quoq; adscribimus, illamq; Legato necessariam esse dicimus. Neque enim integrum semper illi est, è chartâ Principis sui petita proponere, sed quamplurima memoriter tenetur proferre, nisi vel imperitiæ vel superbiæ insimulari alicujus velit. Hoc nisi thesauro summè necessariò Legatus fuerit instructus, ausim contendere, illum haut facile arcem aliquam esse expugnaturum. Donis hisce supra cætera ingentia instructum quoq; fuisse Magnificum quondam Virum & Elect. Saxonix Consiliarium intimum, D. GABRIELEM TUNZELIUM, comperimus. Cùm enim sæpiusculè Legati partes ad Imperat. Roman. subiret, factum aliquandò, ut propter negotii tractandi prolixitatem & gravitatem ad trium horarum spatium oratio ipsi coram Augustissimo Cæsare Ferdinando II. memoriter fuerit habenda, & habita etiam ab eodem feliciter. ROBUR tandem CORPORIS, ac stomachi firmitatem ut in Legato etiam ceu naturæ munus requiramus, faciunt multi, iiq; gravissimi labores, qui à Legato exantlandi, itinera longinqua, quæ terrâ mariq;, æstate, ac hyeme, emetiri cogitur, crebra locorum aerisq; mutatio, aliq; incommoda, ob quæ non sano solùm, sed & robusto corpore præditum Legatum optamus. Experientia sanè testatur, multa Legato obvenire, quæ ita in ejus corpus sæviunt, ut, nisi robur & æs triplex circa pectus illi fuerit (verbis utimur Poetæ Venusini, sed mente aliâ) planè eum adigant, ut illud revelet,

Quod latet arcanâ non enarrabile fibrâ (x)
quin & prorsus tandem pessudent. De quibus tamen tacere præstat. Cùm deniq; ipsos generosos animos labor nutriat, dicente

B

cente

u) *Hor. subcis.*
Cent. 3. c. 70.
p. 257.

x) *Persius*



cente Seneca, corporis vero futuris animus sustineatur, illi- que non semper vacare Legatus possit, sed saepe de nocte ali- quid sumere cogatur, certe robustas vires ac sanitatem opti- mam habere eum necesse est, nisi mille istis laboribus conte- ri corpus ac frangi tandem debeat. Sed de hisce haec ipsa sufficient.

CAPUT III.

Bona fortuna in Legato etiam requiruntur, uti sunt generis splendor, quem Turcae quidem & Persae parum curant, at inter populos mansuetiores observatur. Liberalis debet esse Legatus. & ubi? non solum quoad erogationem, sed & quoad donorum admissionem adhibeat prudentiam.

Bona autem fortuna, licet nullus sapiens credere debeat, imo nec possit, ut ut pacem DE ista agere videatur, ceu habet Sapiens Romanus, optimusque pessimi discipuli Praeceptor infelix, (y) tantum tamen abest, ut vir bonus atque adeo Legatus quoque praecleara facinora exerere ac perpetrare possit sine illorum adminiculo, ut potius instrumenta illa ipsa vocare haut vereamur, quibus ad felicem magni alicujus & egregii aedificii structuram opus omnino Legatus habet, quibus nec carere ullus potest. GENERIS quidem NOBILITATEM avitamque gloriam, licet Turcae, Persae, (z) aliaque nonnullae gentes haut magnifaciant (nisi Turcae in unica Ottomanica stirpe, ut habet rerum Turcicarum peritissimus Nobil. Busbe- quius (a) & Persae in familia Aaly notante Oleario multis in locis l. c.) non curantes umbratilem istam ac qs. adscititiam laudem,

y) Seneca lib.
Consol. ad
Helv.

z) Vid. Olear.
Itin. Pers.
p. 312.

a) Epist. Leg.
Turc. 1. p. 29.
f. 572.

b) Ovid. Me-
tam. lib. 13.

Nam genus est proavos, est qua non fecimus ipsi,
Vix ea nostrum puto: canit Poeta. (b)

sed unumquemque sua solum propriaque meriantur virtute: usu tamen inter Christianos paulloque humaniores populos receptum, ut illis Legationis deferatur honor, quibus jam tum splendor aliquis heroicorum factorum a Majoribus perpetratorum viam monstrat ad grassandum virtutis iter, & qs. flammam subdit, ne Majorum gloriam sua negligentia ob-
fuscent

obfuscent. Indè vix hodiè Legationem aliquam Regis ali-
cujus vel Principis quis deprehendet, cui non interfit vel
præsint aliquis avità nobilitate clarus. Quin *Ducum, Comi-
tum, Baronum, Equitum Auratorum* nomina in Legatorum seu
Plenipotentiariorum, uti vocant, hæctenus Monasterii ac Osna-
bruggæ ob pacem Germaniæ congregatorum numero legi-
mus. & ridiculum omninò est, quòd *Weiwoda* quidam in Rus-
siâ, ubi *Brugemannus* Holsatiæ Principis Legatus juxtà cum
altero Legato *Ph. Crusio* è Persiâ rediit, antequàm eos excipe-
ret, inquisivit primùm, quis ex illis *Legatus* esset, & quis *Mer-
cator* (mercaturam enim antea Brugmannus exercuisse dici-
tur) ceu refert *Olearius* (c). Cæterùm cum infra de hisce
prolixius dicendi futurus locus sit, ubi de Legatorum apud
hos illosque populos dignitate agemus, nolumus hîc esse pro-
lixiores. DE DIVITIIS autem, nervis istis rerum gerenda-
rum, nescimus, num dicere quid debeamus. Suppeditat
enim sumtus Legato non sua arca, sed Legantis ararium, cir-
ca quos ut rectè versetur, prudentiâ sanè opus est maximâ.
Cum itaque Legati Cæsarum, Regum, & Principum perso-
nam repræsintent illorum, qui miserunt, & nemo non ex
Legatorum gestibus, sermonibus, vestitu, maximè autem li-
beralitate & magnificentiâ ingenia ipsorum Regum & Prin-
cipum æstimet, quapropter Legatus benè cognitum hîc ha-
beat Principis sui ingenium, imò & facultates. quæ si suppe-
tunt, sumtibus sanè illis, qui ad Principis (hujus enim hono-
rem unicè semperque debet quærere, juxtà cum Patriæ salu-
te) faciant gloriam ac majestatem, neutiquam parcat, & si
unquam, certè hîc valeat notum illud: *pecuniam in loco negli-
gere, maximum interdum commodum.* Præclara verò *magnifi-
centia per munificentiam exerenda præcepta* eruditè, ut omnia, è
veterum scriptis eruit, ac uno qf. intuitu exhibuit judiciosiss-
mus Vir *Job. Henr. Bæclerus*. (d) Exemplum verò queis cum-
primis manus aureo ungentæ lixivio sint, suppeditat nobis
egregium laudatissimus æternaq; memoriâ dignus, dignior
etiam exitu meliori, *Aug. Gislenius Busbequius*, Leg. Imperat.
Rom.

c) Sæpè c. l.

d) Diff. de
Subtil. Pal-
S. 34.



e) Ep. Leg.
Turc. 4.
p. 233.

f) Vid. Olear.
Itin. Pers.
p. 383.

Rom. ad portam Othomannicam felicissimus, meminit enim ipse, (e) quòd *Rustano, Visirio* h. e. consiliario Turcarum Principis primario & ad avaritiam admodum propenso, non exiguam vim auri, ducatorum scil. 5000. non promiserit solum, sed & in ædes miserit, quò videl. promptior is esset ad pacis negotia acceleranda. Accommodet omninò sese Legatus ad hominum ingenia, & si quem videt pecuniis inhiantem, gratiaq; & auctoritate apud istum, quo cum ipsi agendum, valentem, illum presenti pecuniâ obruat, quin & ministros intimiores secretò muneribus demulceat. Quoad cætera verò parsimonia aliqua, non tamen avaritia, haud improbanda penitus est. Cum primis tamen videat Legatus, ne ludicris rebus, uti saltatoribus, funambulibus, comædis, histrionibus, multò minus scortis, quod Illustrissimi Holsatiæ Ducis ad Persiæ Regem Legatus Brügemannus fecisse dicitur, (f) eaq; de causâ, accedentibus aliis enormitatibus, capitali adfectus supplicio, nimium impendat. Quamvis non improbeamus, sed potius svadeamus, si à Legato circa erogationem peccandum, ut in excessu potius, h. e. liberalitate nimia seu profusione Legatus peccet, quàm in forditate. ac semper id agat, quò ab omnibus is credatur, qui communibus avaritiæ vinculis sese exemerit. Neq; tamen circa pecuniarum tantum erogationem Legati commendatur prudentia, sed & circa munerum admissionem, de quâ egregiâ virtute, quæq; non tam à naturâ est, (licet semina quædam continentia, non secus ac reliquarum virtutum, naturâ nonnullis inesse, non eamus inficias,) quàm crebris actionibus arteq; acquiritur, cap.

sequente aliquid dicendum erit, ubi de Legati agemus

virtutibus, quas literarum parit scientia animiq;

cultura indefessa, ac debita adfe-

ctuum moderatio.



F I N I S.

VO A 6412

ULB Halle 3
002 920 379


VO 77

Retro ✓







34

בשם מלאך הכרית:

LEGATUS

Dissertatione geminâ
representatus,

&

PRÆSIDE
VIRO CLARISSIMO

DN. M. JOHANNES ERNESTO
GERHARDO JENENSI,

in almâ LEUCOREA

publicè ad disputandum
propositus

à

JOHANNES CHRISTOPHORO Schmid/
Dresdensi.

Disputatio prior

Habebitur in Auditorio Philosophorum
horis antemerid.

d. XIX. Julij

è Chalcographéo JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

ANNO MDCXLIX.

Michael Wendelerus, P.P.

